



# Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

CCCXIX. Papst Bonifaz VIII. legitimirt die Ehe des Markgrafen Heinrich von  
Brandenburg und seiner Gemahlin Agnes zur Verhütung der Gefahren,  
welche aus einer Scheidung hervorgehen mögten, am 19. Mai ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

**CCCXIX.** Pappst Bonifaz VIII. legitimirt die Ehe des Markgrafen Heinrich von Brandenburg und seiner Gemahlin Agnes zur Verhütung der Gefahren, welche aus einer Scheidung hervorgehen mögten, am 19. Mai 1303.

Bonifacius etc. Dilecto filio nobili uiro henrico, Marchioni Brandenburgensi, et dilecte in cristo filie nobili mulieri Agneti, nate quondam Ludouici, Ducis Bawarie, uxori eius. Intenta salutis operibus apostolice Sedis circumspecta benignital indulta sibi desuper plenitudine potestatis utitur, sicut in Deo expedire conspicit, secundum diuersitatem negotiorum concurrentium et exigentiam personarum. Sane lecta coram nobis uestra petitio continebat, quod uos olim matrimonium per uerba de presenti de facto ad inuicem contraxistis, et carnali postmodum copula subsecuta, prolem ex eodem matrimonio suscepistis. Quia uero quarto consanguinitatis gradu uos contingitis, procurari uobis de oportuno dispensationis beneficio in hac parte humiliter implorastis, maxime cum ex diuortio, si quod absit inter uos fieret, graue posset in illis partibus (periculum) exoriri. Nos itaque carissimi in cristo filij nostri alberti, Regis Romanorum illustris, ac uestris supplicationibus inclinati, uobiscum, ut impedimento huiusmodi, quarto gradu consanguinitatis, nequaquam obstante, in matrimonio ipso licite ac libere remanere possitis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam a uobis ex huiusmodi matrimonio legitimam nuntiantes. Nulli ergo etc. Datum anagnie XIII. Kalendas Junij, anno Nono.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Ges. Archive Epist. Bonif. Nr. 230. p. 380. Anni IX.

**CCCXX.** Vertrag des Bischofs Heinrich von Camin mit den Markgrafen Otto, Konrad, Johann und Waldemar, denen er Hilfe und Beistand gegen alle ihre Feinde gelobt, ausgenommen den Markgrafen Hermann und die Pommerschen Herzoge, vom 18. September 1303.

Nos Henricus, Dei gratia Caminensis ecclesie Episcopus, recognoscimus et presentibus publice protestamur, quod inter Illustres Principes Dominos Ottonem, Conradum, Johannem et Waldemarum, de Brandeborch et Landelberch Marchiones, ex una, et nos parte ex altera, est de maturo consilio nostrorum prelatorum nec non fidelium nostrorum placitatum, quod apud ipsos debemus perpetuo manere et ipsorum terram defendere, prout nostram, eisque assistere efficaciter auxilio, consilio et fauore cum omni posse, ubicumque eisdem fuerit oportunum contra quoslibet aduersarios eorundem, exceptis dumtaxat illustri principe Domino Hermanno Marchione Brandeburgensi, et nobilibus Ducibus, Dominis Bugizlao et Ottone Sclauorum et Cassubie, contra quos nichil attemptabimus, quod noscitur inimicum. Preterea si aliqua discentionis materia inter dictorum Dominorum Marchionum et nostros uasallos fuerit exorta, si concordia non possit vel amicitia terminari, extunc nostri uasalli coram nobis stabunt iuri uasallis dictorum Dominorum Marchionum de ipsis uolentibus querulari, et nemo se constituet iudicem sui